



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio II. De principio concurrente ad visionem ex parte potentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

Tertia ratio dubitandi.

Tertio, essentia est per se ipsam immediate intelligibilis, etiam propter rationem præcedit omnipotentiam, ergo immediate concurrere potest ad sui cognitionem, imò essentia sicut immediate terminat, immediate mouet, alioqui est obiectum dumtaxat terminatum, non autem motuum. Denique ipsa essentia respectu diuinæ intellectiōis fungitur munere speciei impressæ, ergo & respectu intellectiōis creatæ.

Assertio.

Dico tertio essentia diuina non supplet defectum speciei, neque loco eius vnitur cum intellectu, per se ipsam immediate, propter virtualiter distinguitur ab omnipotentia: sed per ipsam omnipotentiam liberè applicatam per decretum voluntatis de producendo effectu illo quem produceret species. Contra Suarezem, Fasol. Becan. Valent. & alios.

Probatio assertio- nis.

Ratio est, quia si essentia ex eo quod immediate videatur, concurreret per se ipsam immediate, attributa etiam & relationes propter distinguuntur virtualiter ab essentia deberent præbere immediate concursum ad sui visionem, hoc autem absurdum est, quia sic daretur aliqua operatio ad extra, quæ non esset communis omnibus personis; probo consequentiam, idè per te essentia causat immediate visionem, quia videtur immediate, sed relationes etiam videntur immediate quia mysterium Trinitatis videtur etiam in se ipso immediate. Deinde si essentia immediate concurreret præcisè ut entitas est, concursus ille præcisè in se ipso non esset liber, sed tantum ex eo quod esset coniunctus, cum generali concursu omnipotentia, & conseruatione luminis gloriæ.

Hoc autem absurdum est, quia nulla Dei actio ad extra est necessaria: imò in hac sententia duplicem Deus præbet concursum, vnum generalem omnipotentia, alterum specialem essentia, hoc autem absurdum est, nam licet concursus effectiuus omnipotentia vnicus sit, potest tamen esse multiplex virtualiter; præstat enim vnum quatenus est generalis omnium causa, secundum præstat quatenus continet speciem, & loco illius agit: sic enim concursus ille quem sola præstat omnipotentia, diuersus est ab eo quem præstat si concurreret ad visionem simul cum specie.

Ratio à priori.

Denique à priori ratio est, quia per illud essentia diuina concurret loco speciei per quod continet ipsam speciem, sed per omnipotentiam continet ipsam speciem; si enim produceret speciem non produceret illam nisi per omnipotentiam: ergo non supplet eius concursum nisi per omnipotentiam, imò clarum videtur quod actiones Dei ad extra sunt opera omnipotentia.

Concursus omnipotentia virtualiter est multiplex.

Ad primam, patet ex dictis quomodo concursus ille omnipotentia licet realiter vnicus sit tamen virtualiter multiplex, & diuersus à concursu generali.

Discrimen Dei & Angel.

Ad secundam Resp. esse disparitatem inter Deum, & Angelum, quod Angelus ad eam cognitionem quæ cognoscit se ipsum per suam substantiam, non concurret liberè Deus autem liberè concurret ad sui visionem, atque adeò concurret per potentiam subordinatam voluntati, quod si liberè Angelus se ipsum videret per suam substantiam, ut aliqui volunt actio hæc non procederet, nisi à potentia executrice.

Essentia non eodem modo mouet quo terminat.

Ad tertiam, nego essentiam esse proximè intelligibilem cognitione creatæ propter rationem præcedit omnipotentiam, sed remotè tantum & radicaliter. Fateor essentiam esse verum obiectum motuum, & terminatum, licet non eodem modo terminet, quo mouet; terminat enim immediate, mouet autem mediante omnipotentia. Neque par est ratio de intellectiōe increata, ad quam si requiritur species (quod postea negabitur) essentia per se fungitur munere speciei, quia intellectiō diuina non est libera,

in ordine autem ad cognitionem creatam quæ liberè producitur fungi non potest munere speciei.

SECTIO II.

De principio quod ex parte potentia concurret ad visionem. Art. 5.

ILLud est quod vulgò à doctoribus lumen gloriæ dicitur, eo quod in intellectu beati positum, aspectabilem ei reddat Deum, ut eum reuelat facie speculari possit, & transformari in eandem imaginem, de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu, de hoc igitur intellectuali sole, & lucerna accensa in medio paradisi, quatuor disputamus. Primum est eius existentia, & necessitas, secundum potentiam ordinariam. Secundum necessitas eius secundum potentiam absolutam. Tertium quidditas. Quartum propria eius munera.

Lumen gloriæ.

§. I.

Existentia & necessitas luminis gloriæ secundum potentiam ordinariam.

NOMINE igitur *luminis gloriæ* intelligimus qualitatem habituales infusam intellectui beato, & in eo permanentem, ut eum eleuet, & proximè potentem reddat ad videndum Deum; comparatur enim cum visione, sicut habitus fidei v.g. ad actum fidei; & queritur utrum sicut ad producendos actus supernaturales fidei & charitatis, connaturaliter exigitur habitus, sic ad producendam connaturaliter visionem infundatur habitus, quod *lumen gloriæ*, dicitur.

Status quaestio- nis.

Ratio dubitandi primò est, quia instrumentum obediens non eget formâ intrinsecâ per quam agat connaturaliter; nam aqua v.g. ut producat gratiam, non eget formâ extrinsecâ, intellectus videns Deum, est instrumentum obediens: ergo non eget habitu intrinseco. Probatur maior, nam posito lumine gloriæ v.g. vel requiritur ad videndum Deum etiam concursus Dei supernaturalis, & indebitus intellectui, vel non requiritur, si primum ergo posito lumine, visio non est connaturalis, imò frustra est lumen quia concursus ille sufficit: si secundum ergo in eo qui habet lumen fidei, aut habitum charitatis, nulla requiritur gratia ut eliciantur illi actus.

Prima dubitatio.

Secundo lumen gloriæ non potest esse necessarium neque iuuare intellectum tanquam causa partialis ad visionem eliciendam, si non habet virtutem similem intellectui, sicut duo trahentes nauim virtute simili concurrunt, lumen autem gloriæ non habet virtutem similem intellectui, nisi velis illud esse alterum intellectum.

Secunda ratio dubitandi.

Tertio, si requiritur lumen gloriæ quo intellectus disponatur ad visionem, debet etiam dari aliquid in intellectu, per quod disponatur ad recipiendum lumen & sic progressus erit infinitus. Deinde idè tantum exigitur lumen, quia sine illo intellectus non habet proportionem cum Deo videndo, sed intellectus etiam cum lumine proportionem illam non habet, ergo non requiritur lumen.

Tertia ratio dubitandi.

Dico primò in quolibet beato Deum vidente, datur infallibiliter lumen gloriæ permanens sine quo de potentia ordinaria nemo potest videre Deum, ita cum S. Thoma communis omnes Theologi, contra Scot. & Durand. dicentes visionem ipsam à Deo infundi.

Assertio affirmatiua.

Primò autem illud colligitur ex scripturis psalm. 55. *in lumine tuo videmus lumen*; nam licet primarius sensus sit, in filio videbimus patrem, vel in Christo videbimus Deum, ut patet ex Concilio Nicæno, & Epistola I. Euaristi Papæ ad Episcopos Africæ ta-

Prima probatio ex scripturis.

men de hoc etiam lumine à multis aliis intelligitur, qui etiam huc applicant illud Apocalyp. 21. *civitas non eget sole, neque luna, nam claritas Dei illuminabit eam*, Fautent etiam vulgò patres v.g. Nazianz. orat. 10. *Magno regi adstans hinc atque hinc, magno lumine impletur*: & orat. 15. *excipies illos lux omni sermone præstator*, &c. & demùm clara est definitio Cōc. Viennens. Clement. ad nostram ubi damnatur error Beguardorum dicentium, quod anima non eget lumine ipsam eleuante ad videndum Deum, ubi manifestè patet damnari etiam eos qui dicerent nullum dari lumen, sed visionem ipsam à Deo infundi: dicitur enim in concilio intellectum eleuari ad videndum, per visionem autem intellectus non eleuatur ad videndum.

Ratio sancti Thomæ.

Secundò efficax etiam est ratio S. Thomæ: omne id quod eleuatur ad aliquid quod excedit suam naturam, debet disponi per aliquid quod excedit suam naturam, nam idè est de fide dari habitus supernaturales ut potentia connaturaliter eliciat actus fidei, spei, charitatis, quia potentia est ad illos incompleta & ab illis exceditur, quod non est minus verum de visione Dei. Deinde ut intellectus connaturaliter vniatur cum essentia diuina ut specie intelligibili, debet esse completus in ratione potentie intellectiue, sed intellectus non est ex se completus ut patet, ergo debet compleri per lumen gloriæ, quod rectè vocat S. Thomas augmentum virtutis intellectiue.

Solutio primæ dubitationis.

Ad primam Resp. instrumentum obedientiale quod agit vitaliter in eo distingui ab instrumento quod non agit vitaliter, quod instrumentum vitale requirit formam intrinsecam per quam disponatur ad agendum connaturaliter; nam omnis actio vitalis debet esse connaturalis, instrumentum autem non vitale non eget formâ intrinsecâ; quia non debet agere connaturaliter. Ad probationem dico quod posito lumine gloriæ requiritur concursus Dei omnino indebitus intellectui nudè sumpto, sed debitus intellectui prout instructo lumine gloriæ, quod idem dico de aliis actibus supernaturalibus, nam in eo qui habet habitum fidei requiritur gratia, & concursus Dei.

Solutio secundæ.

Ad secundam Resp. illam maiorem non esse veram: lumen gloriæ non potest iuare intellectum si non habeat vim similem intellectui. Nam etiam species, & alij habitus iuant potentias à quibus tamen distinguuntur essentialiter, alioqui duo agentia diuersæ rationis non possent concurrere ad eundem actum.

Solutio tertiæ.

Ad tertiam Resp. lumen gloriæ requiri ut disponat intellectum ad visionem eliciendam vitaliter & connaturaliter tanquam complementum potentie, actiue non autem ad illam recipiendam ut dicitur postea; ad lumen autem gloriæ nulla dari debet dispositio quia illud non producit ab intellectu sed tantum recipitur. Deinde sæpè dictum est intellectum instructum lumine gloriæ, habere proportionem cum Deo in ratione obiecti cognoscibilis, non autem in ratione entis.

S. II.

Necessitas luminis gloriæ, secundum potentiam absolutam.

Prima ratio dubitandi.

Ratio dubitandi est primò, quia implicat dari actum secundum, sine actu primo, nam prius est posse agere, quam agere; lumen est actus primus respectu visionis: ergo implicat visio Dei sine lumine. Similiter implicat posse, sine potentia, sed lumen est tota potentia, ergo implicat posse videre sine lumine. Denique visio Dei prout est supernaturalis tam pendet à lumine, quam pendet ab intellectu prout est vitalis, sed prout est vitalis essentialiter pen-

det ab intellectu, neque sine illo elici potest: ergo prout est supernaturalis pendet essentialiter à lumine.

Secundò, visio creata non potest suppleri per solam extrinsecam assistentiam scientiæ increatæ Dei, ergo lumen creatum suppleri non potest per solam assistentiam omnipotentiam.

Secunda ratio dubitandi.

Tertiò, non magis potest eleuari creatus intellectus per solum concursum extrinsecum Dei ad visionem sine vlllo principio intrinsecò, & inhærente, quam voluntas ad actus supernaturales, sed voluntas non potest eleuari ad actus supernaturales sine principio intrinsecò gratiæ, ergo neque intellectus eleuari potest ad actum visionis sine lumine intrinsecò.

Tertia ratio dubitandi.

Dico secundò non implicat intellectum eleuari ad videndum Deum per solum Dei concursum omnino extrinsecum sine vlllo lumine gloriæ intrinsecò vel permanente vel transeunte: ita expresse docet sanct. Thomas in 4. dist. 49. q. 2. a. 7. & q. 10. de veritate art. 11. ut mirum sit cum à recentioribus omnibus Thomistis deferri, ut rectè probant Molina, Valent. Suarez, Vasq. Arrub. Herice, & plures è veteribus Thomistis Ioannes de Neapoli, Paludanus, Hispanensis.

Conclusio negatiua.

Ratio autem est primò, quia lumen gloriæ non potest essentialiter requiri ad visionem, nisi quia illa est supernaturalis; sed non exigitur essentialiter propter supernaturalitatem visionis: ergo non exigitur essentialiter. Maior est certa & eam admittunt aduersarij cum enim visio sit vitalis, & supernaturalis, sufficienter ad eam concurrat intellectus prout est vitalis, sed exigunt lumen propter supernaturalitatem visionis. Probatur igitur minor, si requireretur essentialiter lumen habituale propter supernaturalitatem visionis, requireretur etiam essentialiter habitus fidei ad omnem actum fidei, & habitus charitatis ad omnem actum charitatis; quia illi etiam sunt supernaturales: Consequens falsum est, quia cum primò homo conuertitur à peccato per actum charitatis, actus ille præcedit habitum, & illum causat, dicere autem quod idem ille actus qui causat habitum, causatur ab eo ipso habitu quem causat, est absurdissimum ut probaui alibi, alioqui posset idem sub eodem conceptu supponere suam existentiam; nam effectus præsupponit suam causam, & causam suæ causæ, ipse est causa suæ causæ, igitur supponit se ipsum, imò prius agit quam sit, quia ut est effectus præsupponit se ipsum ut causam suæ causæ.

Prima probatio.

Secundò Dei omnipotentia non magis per extrinsecam assistentiam potest supplere defectum speciei, quam defectum luminis, sed potest supplere defectum speciei, ergo & luminis. Denique Deus per se ipsum facere potest quidquid faciunt causæ secundæ concurrentes solum efficienter non vitaliter; potest enim calefacere sine igne, illuminare sine sole, lumen istud effectiue solum concurrat, & non vitaliter, ergo Deus per se ipsum supplere potest eius defectum, præsertim cum nulla contradictio contrarium ostendat ut constabit modò.

Secunda probatio.

Ad primam enim Resp. eodem argumento probari quod Deus eleuare nihil potest obedientialiter per solum concursum omnipotentiam. Itaque ad argumentum distinguitur minor, lumen est actus primus respectu visionis, necessarius secundum potentiam ordinariam ut producat connaturaliter visio concedo: necessarius absolute ut producat visio, negatur, quia Dei omnipotentia parare potest concursum & esse actus primus secundum potentiam absolutam. Similiter verum est quod lumen est potentia ut producat visio connaturaliter, non est potentia ut simpliciter producat. Denique nego illam maiorem

Solutio primæ dubitationis.

visio

visio tam pendet à lumine propt̃ est supernaturalis quam pendet ab intellectu propt̃ est vitalis, hoc (inquam) manifestè falsum est, quia nulla causa creata vel increata concurret ad visionem, propt̃ est vitalis præter intellectum qui solus producit eam immanenter; at vero causa increata semper concurret ad visionem supernaturalem, vt causa principalis, ideoque mirum non est quod suppleat defectum luminis, cum habeat semper concursum supernaturalem ad visionem, non habeat autem concursum vitalem.

Solutio secundæ. Ad secundam Respon. concursus causæ formalis non possit suppleri à Deo, sed tantum concursus causæ efficientis: visionem autem esse causam formalem quia reddit intellectum videntem formaliter, lumen autem effectiue concurret, ideoque non est mirum quod Deus suppleat eius defectum.

Solutio tertiæ. Ad tertiam Resp. possit de potentia Dei absoluta voluntatem eleuari ad quemlibet actum liberum sine vlllo auxilio intrinseco inhaerente voluntati, potest enim sufficere solus concursus omnipotentis, quæ facere potest per se ipsam totum quod faceret gratia inhaerens & intrinseca. Dixi sine gratia inhaerente voluntati, nam essentialē omnino est, ad actum supernaturalem voluntatis siue liberum siue necessarium, vt in intellectu infundatur lumen cognitionis præueniens, alioqui voluntas ferretur in incognitum quod implicat, sed hoc de visione nihil probat.

S. III.

Quidditas propria luminis gloriæ.

Quæritur **H**actenus soluta est quæstio, an sit lumen gloriæ, nunc vt respondeatur ad quæstionem quid sit, video difficultatem esse posse circa illius genus, deinde circa illius propriam differentiam. De vero illius genere controuersia celebris est, vtum illud sit species impressa, an verò habitus omnino ab ea distinctus: erit species impressa si propter eminentem perfectionem representet obiectum, & potentiam compleat atque ita faciat totum quod faceret species, & habitus simul: erit autem purè habitus si non suppleat vlllo modo vices obiecti, sed tantum sit complementum potentis, antecedenter ad omnem obiecti representationem, differentia huius luminis continetur proprio eius munere de quo dicitur statim.

Prima ratio dubitandi. Ratio ergo dubitandi primò est, quia ille habitus luminis gloriæ nullum potest habere munus quod non habeat species, ergo distingui non debet à specie. Probo antecedens, nullum potest esse munus huius luminis confortantis potentiam, & se tenentis ex parte potentis, nisi quod concurrat ad visionem simul cum potentia, nam ex parte potentis agere non est aliud quam simul agere cum potentia, sed species est qualitas simul cum potentia concurrens ad visionem, ergo species etiam ex parte potentis confortat, & complet potentiam.

Secunda ratio dubitandi. Secundò, potentia tunc completur quando augeatur eius actiuitas, sed quando species agit cum potentia actiuitas potentis augeatur, ergo completur potentia. Quam ob causam habitus naturales dicuntur à pluribus non esse aliud quam species, quia facilitas addita potentis, non est aliud quam noua actiuitas; quam sine dubio addit species.

Tertia ratio dubitandi. Tertio, quando plures causæ ad eundem concurrunt effectum, necesse est vt singulis causis diuersæ correspondent formalitates, sed si lumen gloriæ non est species nulla formalitas specialis respondere potest luminis gloriæ, agenti simul cum intellectu, ergo lumen gloriæ est species, maior inductione constare

potest, & quia illud agens erit superfluum cui nulla in effectu respondebit formalitas, minor etiam ostenditur, quia in visione Dei sunt duo, primum quod sit intellectus vitalis, quod habet ab intellectu: alterum quod sit visio talis obiecti, quod habet à specie.

Dico tertio, lumen gloriæ non est species impressa Dei, sed verus habitus supernaturalis distinctus à speciebus impressis, ita censent omnes qui negant esse possibilem speciem impressam, & omnes qui negant eam de facto dari: Suarez, Herice, Fasol. Valenti. contra Vasq. disp. 43. c. 5. 6. 7. quem multi nunc sequuntur recentiores.

Ratio tamen est quia nulla (vt ostendi) datur de facto species impressa, in videntibus Deum, quia species non requiritur vbi obiectum est præsens & proportionatum, requiritur autem lumen gloriæ, ergo lumen gloriæ non est species. Deinde quamuis daretur species, non esset tamen lumen gloriæ, quia sequeretur alioqui posse sufficienter compleri potentiam naturalem ad actus fidei, spei, & charitatis per solas species impressas, consequens est absurdum, quia præter species representantes obiectum fidei, certum est requiri habitum fidei, & ad actus charitatis præter representationem etiam supernaturalem obiecti requiritur aliquid se tenens ex parte potentis, & illam complens antecedenter ad omnem representationem. Vnde vltèrius argumentor ad visionem supernaturalem requiritur aliquid se tenens ex parte potentis, neque sufficit complementum se tenens ex parte obiecti, sed species se tenet ex parte obiecti: ergo præter speciem requiritur lumen gloriæ. Probatur maior, nam ad actus supernaturales plura requiruntur quam ad actum quemlibet naturalem, alioqui tam esset completa potentia in ordine ad videndum Deum, quam in ordine ad videndum album, sed ad actum quemlibet naturalem requiritur complementum potentis, representans obiectum, ergo ad actum supernaturalem requiritur aliquid ex parte potentis, neque satis est recurrere ad supernaturalitatem huius speciei; nam si potentia ex parte sui, nihil exigit ad illum actum eliciendum sequitur speciem esse omnino naturalem, cum potentia nihil ex parte sui requirat quam quod exigitur ad actum naturalem: imò, quod caput est, illa species licet supernaturalis, non magis complet ex parte potentis, quam species naturalis, ergo potentia ex parte sua non est minus incompleta ad videndum Deum quam ad videndum album. Denique vel sine hac specie potentia est completa, ex parte sui, vel non, si est completa ergo illa non est lumen gloriæ. Si non est completa ergo requiritur aliquid aliud præter speciem, quia si est incompleta requirit aliquid præter obiecti applicationem.

Ad primam Resp. lumen gloriæ in hoc differre à specie quod lumen, & quilibet habitus se teneat ex parte potentis, id est compleat potentiam antecedenter ad representationem obiecti: species autem se teneat ex parte obiecti, id est obiectum dumtaxat representet & ex parte illius agat tanquam eius vicaria, cum ergo dicitur lumen non habere aliud vllum munus nisi quod compleat, & confortet potentiam, distingui debet, nisi quod confortet potentiam ex parte ipsius potentis, id est antecedenter ad representationem obiecti constituendo illam in actu primo, concedo: ex parte obiecti, hoc est ipsam obiectum representando, seu faciendo id quod faceret obiectum nego, agere autem ex parte potentis non est tantum agere cum potentia, sed agere tanquam complementum potentis antecedens obiecti representationem.

Ad secundam Respon. distinguitur maior ex dem modo,

Conclusio
negatiua.

Multiplex
probatio.

Solutio
prima dubitatio.

modo, tunc completur potentia cum eius actiuitas augetur, ex parte ipsius obiecti quod representetur nego: ex parte potentie antecedenter ad representationem obiecti concedo. Quam etiam ob causam negabam olim habitus naturales esse solum species impressas, nisi velis etiam sensus externos esse capaces habituum, quod absurdum est.

Solutur
tertia.

Ad tertiam Resp. maiorem, & minorem esse falsas, nam primò plures causæ sæpè concurrunt ad eundem effectum sub eadem formalitate, v.g. quando idem lumen pendet à pluribus luminosis, secundò etiam non est difficile duas hæc assignare formalitates, nam visio vt est vitalis pendet ab intellectu, & vt supernaturalis pendet à lumine.

§. IV.

Quenam sint propria munera luminis gloria.

Differen-
tia lumi-
nis glo-
ria.

A Signato genere huius luminis, sequitur differentia eius propria, quæ petenda sine dubio est ab eo munere quod exercet circa visionem; potest enim esse, vel dispositio materialis ad vñionem intellectus cum essentia diuina vt specie impressa: vel etiam dispositio materialis intellectus, ad visionem ipsam recipiendam: vel denique causa effectiua ipsius visionis vñā cum potentia.

Prima ra-
tio dubi-
tandi.

Ratio dubitandi est primò, quia semper in materia requiritur dispositio proportionata formæ recipiendæ, sed quando intellectus vnitur cum essentia diuina per modum speciei eleuatur ad formam ordinis superioris, ergo ad eam recipiendam disponi debet per lumen.

Secunda
ratio dubi-
tandi.

Secundò, nulla est ratio cur lumen sit dispositio intellectus ad visionem vt actio est, non autem vt est receptio; nam intellectus non est minus improporcionatus ad recipiendam visionem quàm ad eam producendam: ergo si propter illam improporcionem visio vt actio est, exigit lumen vt dispositionem, exigit etiam illud vt receptio est; nam in vtroque munere intellectus est instrumentum, vnde non valet discrimen quod nonnulli afferunt quia intellectus vt agens debet esse perfectior quàm visio, non autem vt recipiens, nam si sit instrumentum non debet esse perfectior.

Tertia ra-
tio dubi-
tandi.

Tertio, si lumen gloriæ agit cum intellectu agere debet vitaliter, & principaliter, hoc autem absurdum est; quia non est aliquid vitale atque adeò est imperfectius visione.

Munus
propriū
luminis
gloriæ.

Dico quartò, lumen gloriæ valdè improprie dicitur dispositio materialis ad receptionem essentia diuinæ vt speciei impressæ, aut etiam ad recipiendam visionem; proprium autem eius munus est simul cum intellectu producere visionem connaturaliter.

Primæ
partis pro-
batio.

Prima pars contra omnes Thomistas quibus accedunt Valentia, Salas, Granados probatur, quia vbi nulla forma recipitur in subiecto, ibi non datur dispositio subiecti ad formam illam recipiendam; sed essentia diuina non vnitur cum intellectu tanquam forma realis informans intellectum: ergo lumen gloriæ non debet dici dispositio ad illam recipiendam, dicitur tamen improprie dispositio, quatenus est conditio, sine qua, essentia diuina non vniretur intellectui per modum speciei, id est non concurreret cum intellectu ad visionem.

Probatio
secundæ
partis.

Secunda pars contra eosdem Thomistas probatur, quia si requireretur in intellectu dispositio aliqua vt reciperet visionem supernaturalem, requireretur etiam in eodem dispositio ad recipiendum lumen supernaturale, arque ita daretur progressus in infinitum. Concilium autem Viennense quando exigit lumen vt dispositionem, ad visionem, exigit illud

vt dispositionem ad visionem vt actio est, non vt passio, alioqui daretur infinitus progressus.

Ratio ter-
tiæ partis.

Tertia pars communis est inter Theologos, quia habitus supernaturales, idè tantum sunt necessarij, quia potentia operatur cum illis connaturaliter, effectus supernaturales, id est tanquam principium intrinsecum & proportionatum.

Ad primam Resp. verum non esse quod materia exigit dispositionem proportionatam vt recipiat formam supernaturalem, etiam si physice illi vnatur per potentiam obedientialem, alioqui daretur progressus infinitus. Hoc autem esse multò minus verum, quando forma non vnitur physice subiecto, sicut essentia diuina non vnitur physice intellectui, potest ergo requiri lumen vt conditio, non vt dispositio materialis quæ concurrat ad receptionem formæ, atque adeò recipit formam.

Ad secundam Resp. esse disparitatem inter visionem vt actio est, & visionem vt est passio, nam visio vt actio est exigit prodire à principio effectiui connaturaliter operante, cum effectus prodeat à virtute ipsius causæ, potestque visio vt actio est prodire à principio huiusmodi, quin detur progressus infinitus: visio autem vt passio est non exigit recipi in principio connaturaliter recipiente, quia hoc vt dixi est impossibile propter infinitum progressum.

Ad tertiam vt respondeatur videndum est qualis sit influxus luminis simul cum intellectu ad visionem. Quod autem quæri vterius poterat hoc loco de causa subiectiua, & effectiua luminis gloriæ difficultatem non habet: nam subiectum eius sine dubio est non substantia ipsius animæ, sed intellectus in quo, & à quo visio ipsa producitur. Causam verò effectiuam instrumentalem etiam physicam probabilissimè recentiores aliqui meditantur esse ipsam Christi humanitatem, imò & quinque cicatrices vulnerum eius è quibus physice profluit quicquid producitur in viatoribus gratiæ, & quicquid est luminis gloriæ in beatis: quod pie ac ingeniosè tradit Recupitus l. 6. quæst. 19.

SECTIO III.

De ipsa potentia intellectiua concurrente ad visionem.

Expositis duobus principiis visionis, quæ potentiam vitalem complent, venio ad ipsam potentiam, sic instructam, vt ex parte sua lumen habeat intrinsecè inhærens, & ex parte obiecti essentiam ipsam habeat diuinam, præsentem & paratam concurrere ad claram sui visionem. Et primò quaeritur vtrum intellectus ita instructus reuerà producat visionem physice, an verò illam solum producat lumen gloriæ. Secundò vtrum producat visionem principaliter, an verò instrumentaliter: Tertio vtrum intellectus alicuius etiam viatoris Deum aliquando viderit, quod verò quaeri vterius poterat vtrum à perfectiore intellectu, etiam in patria videatur perfectius, dicitur q. 4. cum agam de inæqualitate visionis.

§. I.

Vtrum intellectus instructus lumine gloriæ concurrat immediatè ad visionem simul cum lumine.

Alijs verbis proponi solet hæc controuersia, vtrum lumen gloriæ ita influat in visionem, vt ipsum sit tota ratio proxima illam efficiendi, si nihil intellectus per suam entitatem agat immediatè, sed recipiat tantum lumen quod solum agat, sicut cum aqua calida producit calorem, calor est tota ratio calefaciendi

Sensus
quæstio-
nis.